(7.)

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RHEUMATISMO ACUTO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SAMUEL WESLEY,

HIBERNUS,

SOCIETATIS REGIAE PHYSICAE EDINENSIS SOCIUS EXTRAORDINARIUS,

ETIAMQUE

PRAESES ANNUUS.

Homines ad Deos nullo in re propius accedunt, quam salutem hominibus dando. CICERO.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1819.

PATRI SUO

ET

AMICO OPTIMO,

SAMUEL WESLEY,

S. D.

Nemo est, Pater optime, cui plus te debeam. Tu vitam donasti, pueritiam erudisti, juventutem moribus ornasti; quicquid in me est ingenii liberali manu excoluisti. Haec dum reputo, et caetera beneficia in me indies collata, quorum alta mente reponitur sensus, cui prae te dicatas vellem hasce, qualescunque fuerint, operae meae primitias? Ad te ergo confugiunt, tuumque patrocinium propria sibi affinitate vendicant. Quod diu vivas felix faustusque tuis ex animo opto, precor filius omni officio devinctus.

AVUNCULO SUO DILECTISSIMO,

GEORGIO BUTT, ARMIGERO,

IN CLASSE REGIA CHIRURG. PRIMAR. ETC.

VIRO

OMNI VIRTUTE ORNATO;

Hocce Opusculum,

AMORIS ATQUE AMICITIAE SINCERAE

TESTIMONIUM,

LUBENTISSIME OFFERT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

Mihi forsan inter alios nostri aevi scriptores vitio verti possit, quod et olim de sui temporis scriptoribus conquestus est Juvenalis, eorum "scribendi cacoëthes tenet multos." Si autem ex propria experientia concludere liceat, multa sunt quae tironem deterreant, quo minus in publicum prodeat, et primitias ingenii et studiorum suorum aequo examini virorum summi excultique judicii subjiciat; nam in aetate juvenili defectus experientiae, tempus forsan et ipsum exiguum, in discendo necessario consumptum, minus facultatis vel otii suppeditant ad opus ullum aggrediendum, quod mag-

nopere publicam attentionem mereatur: attamen, sacras Appolinis aedes aditurus, salutifera Aesculapii arma vibrare gestiens, quo se verterat non habet; scribendum est, utrum natura donat genium necne.

Almae et florentissimae hujusce Academiae leges et instituta postulant, unumquemque ejus alumnum aliquod ingenii et doctrinae suae specimen in lucem edere, antequam summos in medicina honores consequi possit. Dum igitur his placitis morem gero, procul absit omnis suspicio vanam ullam eruditionis jactationem me huic negotio implicuisse. Has autem paginas nimis festinanter conscriptas, nec ea qua decuissit cura excultas, vos, Professores doctissimi, aequo animo accipiatis; vos erroribus, quos vel incuria fudit, vel humana parum cavit natura, qua estis humanitate, condonare assuestis; vobis me meaque commendo.

> "Multa sacro tegit involucro natura, nec ullis
> "Scire fas est mortalibus omnia."—Lucret.

A scriptis antiquorum Rheumatismus apud eos minime se ostendisse videtur. Interdum quidem quosdam notant affectus haud dissimiles;

at hos tam leviter describunt, ut forsan non temere dicatur, huncce morbum illorum temporibus non extitisse: Sin aliter, hoc certe constat, eos descriptionem illius adeo laxam atque confusam tradidisse, ut aliquid certi de ejus existentia vix compertum habuerint. Illius aut apud Graecos aut apud Arabes fere nulla fit mentio. Apud Gallos, BALLONIUS primus omnium qui nostri morbi naturam explicavit. Arthritidem inter et catarrhum, compluresque alios affectus, distinctionem satis accuratam instituit. Postea SYDENHAMUS multa in lucem tulit clariorem; ac CULLENUS celeberrimus adeo descripsit accurate, ut nihil posteris addendum reliquerit. Sic enim ab eo definitur: "Morbus ab externa, et plerumque evidente causa; pyrexia; dolor circa articulos, musculorum tractum sequens, genua et reliquos majores, potius quam pedum vel manuum articulos, infestans, calore externo auctus."

HISTORIA MORBI.

INTER scriptores omnes constat Rheumatismum aggressus suos frequentius facere in regio-

nibus frigidis quam calidis. Quamvis nulli coelo prae caeteris proprius, tamen vulgo grassatur autumno et vere, praesertim ubi prae tempestatis varietatibus, calor et frigus crebro vices alternant, et ubi coelum frigidum et humidum est. Nulla aetas, sive sexus, aut aliquod temperamentum ab hoc morbo immune esse videtur; et ii qui corpore sano et habitu pleno gaudent ad hunc morbum maxime proni. Impetum ejus intra decimum quintum annum aetatis et trigesimum quintum cohibere videtur; et foeminae ad ejus aggressus procliviores esse videntur.

Mali tentatio est varia; modo a sensu lassitudinis et gravitatis in membris corporis incipit; modo sensus frigoris est primum signum. Stadium calidum, et caetera indicia pyrexiae, brevi subsequuntur: praecipua horum signorum sunt anxietas, sitis, calor, pulsus frequens, validus ac durus, inquietudo, respiratio anxia et celeris, appetentia cibi deficiens; porro lingua est albida. His symptomatis febrilibus per unum aut alterum diem manentibus, et nonnunquam citius, aegrum lacessere incipiunt, dolores acuti ac lancinantes in variis corporis parti-

bus, praesertim in genuum articulis, humeris, lumbisque, &c. Hi quoque dolores aponeuroses tendinum sequuntur, et inter musculos etiam ipsos propagantur; atque nunc complures simul et semel articulos infestant, nunc solummodo unum, et huc atque illuc migrant vicibus alternis; aliquid enim doloris, tumoris, et rubedinis adhuc restat. Sub noctem paulatim crescunt symptomata febrilia, uti et dolores lecti calore magis magisque intensi fiunt, motuque stragulorum aut artuum etiam levissimo, aegrotum miserum immaniter excruciant; ac, licet diutius uno die raro in eadem parte maneant, tamen discedentes parum sequitur levaminis. Alvus plerumque adstricta est. In nonnullis exemplis sudor partis ab initio adest: non est autem copiosus, et raro angorem levat partis, quae rigida et sicca plerumque manet.

Per totum fere tempus hujus morbi, urina colorem exhibet rubicundiorem; initium versus sedimentum vix demittit ullum; at, morbo progrediente, et pyrexia insignius remittente, sedimentum deponit furfuraceum; sed morbum non solvit. Sanguis e vena missus crustam coriaceam albam ostendit. Saepe evanescunt

symptomata febrilia, dolore aequo aut majore urgente; quum autem res ita se habent, morbus speciem induit aliam, et nomine distinguitur Rheumatismi Chronici.

CAUSAE REMOTAE.

Hae jure in praedisponentes et occasionales, vel excitantes, dividendae mihi videntur. Diathesis phlogistica princeps causa praedisponens est; nam rheumatismus florentem aetatem, regionum frigidarum incolas et temperamento sanguineo praeditos, ex quibus rebus diathesis phlogistica potissimum pendet, praecipue adoritur; porro vita iners ac deses, diaeta nimis plena et stimulans, exinanitiones solitae suppressae, nimirum, halitus cutis, menses, fonticuli, haemorrhois, et omnia quae plenitudinem corporis augent, tamque tot causae praedisponentes considerari debent. Quinetiam, ea omnia quae corpus infirmant aut irritabilius reddunt, ut morbi praegredientes, diutius hydrargyri usus protractus, habentur causae praedisponentes;

necnon ii, qui morbo jam antea laboraverunt, procliviores sunt accessionibus iteratis.

Causae excitantes sunt omnia quae corpus nimis stimulant. Omnibus notum est, frigus corpori illatum, multo saepius hunc morbum inducere, quam ullam aliam causam, praecipue si humiditate conjunctum fuerit, et si corpus actioni ejus nimis calefactum objiciatur. Hac de causa, videmus saepissime eos sub hoc morbo laborantes, qui prius calefacti fuere, vel decurrendo vel saliendo, et subito sese obtulere nocivis sed refrigerantibus auris. Exemplum frigoris cum humiditate conjuncti hunc morbum inducentis, nobis saepissime occurrit, cum aliquis inter lodices humidas dormit, vel vestimentis madidis sese induit. Inter causas excitantes domicilia frigida atque humida enumerari debent.

CAUSA PROXIMA.

Quanquam doctrina causarum proximarum adhuc in multa obscuritate latet, et quanquam

earum nostra notitia in plerisque affectionibus est manca et debilis, in paucis fere nulla; tamen earum consideratio est res magni momenti; neque spes, quantulumcunque parva, tandem perveniendi ad harum veram notitiam debet esse in augusto.

Putat illustrissimus BOERHAAVE causam proximam rheumatismi humorum esse lentorem; dum alii contra fluidorum acrimoniae attribuendum esse censent. Neque una neque altera harum sententiarum CULLENO magno placuit, et alteram proposuit; nempe, sanguinem praeter naturam in arteriolis ligamentorum artuum, vel aponeuroseos musculorum tendineae, congestum esse. Quae sanguinis accumulatio, et propter molem suam nimiam, et propter vasa sanguifera aliqua ex parte forsitan antispasmodice constricta, arteriolas modo positas magnopere stimulat, et nonnihil distendit, summum dolorem multumque inflammationis movens, et iter per eas liberum frustra sibi quaerens. Rebus ita se habentibus, vires naturae medicatrices, quasi consilio sanguinis congestionem tollendi, impetum circuitus humorum magis etiamnum adaugent; quod horrorem et rigo-

rem excitando, et arteriis extremis spasmum inferendo, praestare videntur. Ita proxima hujusci morbi causa in congestione sanguinis nimia, loco proprio, cui spasmus vasorum extremorum et omnia pyrexiae signa accedunt, quantum disci potest, consistit. Huic vero, Culleno celeberrimo teste, adjungi videtur affectus fibrarum musculorum singularis, quem aliquantum rigiditatis esse vir doctus existimat.

DIAGNOSIS.

Nulla fere pars medicinae majorem peritiam, aut ingenii acumen postulat, aut majoris momenti est, quam illa quae de morbis in se invicem dignoscendis agit. "Sine hac scientia, nulla stabilis institui potest prognosis vel therapia, et medicus adstantibus saepe ludibrio erit." Praecipui morbi, quibuscum rheumatismo acuto est ulla fere similitudo, sunt podagra, syphilis et species chronica; de quibus paucula in ordine ut dignoscantur, dicere proponimus. Rheumatismum inter et podagram facilis est diagnosis. In hoc articuli ex-

tremorum, ut manuum pedumve digiti afficiuntur; dum in altero, humeri, cubiti genua, reliquique majores morbi sedes est. Insuper, podagra aetate provectiores temperamentoque sanguineo praeditos invadit; qui iterum vitam sedentariam inertemque degunt; et sexum masculinum corripit: Rheumatismus, ex adverso, juniores, actuosos, omnia corporum genera, sexui foemineo minime parcens. Dolor podagrae locum mutare minus periclitatur, et, cum hoc incidit, ad membrum contrarium, vel aliquam partem internam, migrat: Nulla parte certa rheumatismus circumscribitur. Podagra est morbus haereditarius, et originem a nulla causa externa evidente deducit: Rheumatismus a nullo vitio parentum ingenito oritur, et frigori, ut causae communi, referri potest. Paroxysmi in podagra violentiores sunt, et tumor ruborque majores quam in rheumatismo; notae dyspepsiae podagram plerumque antecedunt: Rheumatismus accidit subito, nullo signo adventum ejus praenunciante. In lue dolores medias ossium partes occupant, praecipue majorum; profundiores sunt, et tactu vel motu augentur. Praeterea rheumatismus pyrexia stipa-

patur, in syphilitide vix invenienda. Rheumatismus acutus saepe in chronicum degenerat; ideoque limites accuratos inter duas morbi species ponere haud facile est. Ubi nulla restat pyrexia, artus frigescunt, rigent, et absque rubore dolent; ubi dolores frigore admoto augentur, calore applicato levantur, tunc morbum rheumatismum chronicum esse judicare licet. Complures adhuc sunt notae diagnoseos inter acutum ac longum, quas enumerare prorsus supervacaneum foret.

PROGNOSIS.

Rheumatismus, dum corpus externum tenet, parum nihilve periculi habet; nulla etenim exempla, quibus fides possit haberi, quantum meminerim, produntur memoriae, ubi aliquis eo fuit extinctus. Interdum tamen caput aggreditur, ac pulmones, unde gignuntur paralysis, peripneumonia et apoplexia. Si morbus hicce duraverit, et aegrotus eo magnopere fuerit debilitatus, prognosis admodum incerta et anceps sit oportet. Sed quando aeger juvenis et inte-

ger viribus est, mitigatis doloribus ab articulorum tumore, cum febre leni et cum universali et profuso sudore, aut naturaliter vel medicamentis inducto, pro certo aegrotus ad sanitatem brevi reducetur.

RATIO MEDENDI.

Cum ab omnibus conceditur, rheumatismum plurimum inflammationis habere, consilium medendi primum manifestum apparet, videlicet, diathesin phlogisticam totius corporis tollere, et halitum cutis generalem promovere, vel spasmum solvere. Horum primum fieri potest venaesectione, catharticis refrigerantibus, et regimine quod ad inflammationem reprimendam usui esse poterit.

Venaesectio.—Nullum quidem existit remedium, quo diathesis phlogistica citius aut efficacius tollitur, quam sanguinis sub morbi initium detractio, quae copiosa et iterata adhiberi debet: commodum, quod hoc auxilium affert, erit eo majus, quo citius sanguis ex vena effluxerit: ex ostio magno igitur mitti debet:

periti bene norunt parvam sanguinis quantitatem hoc modo extractam multo magis ad diathesin phlogisticam tollendam valere, quam magnam copiam tarde detractam. Si post paucas horas elapsas pyrexia, et alia signa non mitigantur, sanguis iterum detrahatur oportet. Quoad quantitatem detrahendam, nulla quidem regula generalis tradi potest. Sequentia autem attente perpensa plerumque docebunt quoties, quantumque sanguinis detrahi debeat: haec sunt aetas, sexus, vires, plenitudo, ac temperamentum aegroti, doloris magnitudo, arteriarum percussus, ususque hujus exinanitionis plus minus frequens. Quamvis autem detractio sanguinis est optimum remedium, solicite cavendum erit, ne justo saepius, aut copiosius, detrahitur; horrendi enim morbi usui hujus remedii nimio supervenire solent; quales sunt hydrops, arthrodynia, et debilitas immedicabilis, &c. Cum justa sanguinis copia e brachio detracta fuerit, exinanitiones ex partibus dolentibus cum fructu fieri possunt: hae nocent multo minus quam detractiones generales: hirudines hoc consilio commodius adhiberi possunt. Si tensio, tumor, calor et rubor partium laboran-

tium sint insignes, sanguis sic missus magnum commodum afferre solet.

Cathartica refrigerantia.—Haec ad diathesin phlogisticam tollendam plane accommodantur, et secundum, post sanguinis detractionem, locum tenent; at dejectiones crebrae, quia dolore saeviente difficiles, quantum fieri potest vitandae. Cum purgantia igitur adhibenda sunt, mitissima, quales crystalli tartari, manna, ac similia, in usu esse debent. Clysteres etiam emollientes, faeces induratas, quae tubum intestinalem irritaverint, eliminando, prodesse possunt.

Regimen antiphlogisticum, quo omnium irritantium, quae machinae humanae fere semper admoventur, immunitionem, aut evitationem significamus, per totum morbi cursum necessarium est. Horum irritantium praecipua sunt calor, diaeta stimulans, liquores generosi, animi corporisque exercitatio, &c. Vis caloris in aegri cubiculo ultra gradum sexagesimum, secundum FAHRENHEIT, assurgere nunquam debet. Diaeta sit lenis et concoctu facilis. Juscula, pinguedine amota, poma pista, aliique fructus acidi, &c. idonea sunt. Pro potu bibat de-

coctum furfuris, panis, seminum hordei distichi, et alia hujusmodi, quae alvum potius solvunt quam astringunt.

Diathesi phlogistica auxiliis supradictis sublata, ad secundum consilium, spasmum nimirum solvere, devenimus. Haec perficitur medicamentis, quae sudorem copiosum, et quam minimum simul caloris moveant. Tutissima autem et efficacissima idem praestandi via est, pulverem ipecacuanhae compositum, qui laudibus summis, non sine ratione gravissima, a plerisque medicis, ob utilitatem suam, et in hoc, et in multis aliis morbis, fuerit elatus, adhibere. Sudor quam levissime semper excitatur. Igitur a dosi pulveris magna non incipiendum est. Decem aut duodecim grana adhibeantur, et omni hora aut circiter iterentur, donec eruperit sudor. Medicamentum, hoc modo datum, raro nauseam affert; et fere semper, praesertim fomentis inferioribus corporis partibus, relaxandi causa, simul admotis, optandum exitum habet. Sudore excitato, julapii salini ℥ i. omni tertia hora, et haustus diaphoreticus, cum aliquanto tincturae opii, omni nocte data, ad sudorem producendum et dolores levandos confe-

runt. Hoc modo sudor, in viginti quatuor, vel quadraginta octo, si opus sit, horas conservari potest. Quantum vero hoc spectat, levatione, quam doloribus comparaverit, et viribus aegroti, ex toto regi debemus. Medici ut pulverem mane dare incipiamus suadent; quoniam omnes secretiones multo facilius die, quam noctu dum dormitur, promoventur. Insuper, et aegrotus, et ei ministrantes, noctu in somnum incidere solent, adeo ut potio ei rite suppeditari nequeat, sine qua sudor pergere non potest. Sudore manante, diluentia omnigena, potissimum ea quae minime stimulant, liberaliter sunt adhibenda. In lecto, cujus stragula lanea sunt, collocetur aegrotus; namque lintea brevi madescunt, et a corpore, in paucula minuta tantum, disjuncta, frigescunt; et igitur actionem remedii sudorisque progressum impediunt. Vomitoria leniter nauseosa, diathesi phlogistica sublata, cum fructu adhiberi queant; alvum enim plerumque laxant, halitum cutis promovent, et pyrexiam minuunt; huic fini optime forsan respondebit vinum antimonii tartarisati.

Vesicatoria in hoc morbo multum prosunt, si applicentur antequam notae febriles ingraves-

cunt. Caeterum, cum pyrexia urget, doloresque huc illuc vagantur, parum proficiunt morbo his remediis sublato; talis est corporis conditio, ut arthrodyniae maxime opportunum fiat: ab hoc diro malo summa cura, diaeta idonea, et causarum excitantium evitatione caveri debet. Diaeta blanda ex farraceis et lacte praecipue constans, unam alteramve septimanam continuata, commendatur a cel. SYDENHAM. Alii peritum frigidarii usum laudant.

Post diathesin phlogisticam, sanguinis detractione aliisque evacuationibus sublatam, celeb. SAUNDERS enixe commendat cinchonam officinalem in rheumatismo acuto. Pyrexiam hac ratione plerumque citius terminari, articulorumque debilitati et rigiditati, et arthrodyniae etiam, plerumque occurri, nobis confirmat.

FINIS.